


GRATIARVM ACTIO.

I Am, quia, quæ fuerant nobis peragēda, peracta;
Deberem grates solvere, **O BRECHTE**, tibi;
Quòd mea Cæsareâ cinxisti tempora Lauru:
Annulus in digitis quòd micat ille meis.
Sed quas persolvam? tenuis negat hocce facultas:
Estq; tuis meritis nostra Thalia minor.
Arrha tibi mens sit, sola hæc via restat; **HONORIS**
Perpetuò illa novi conscia testis erit.
Det tibi supremus munus pro munere vates,
Ille tuas Laudes augeat, illè Decus:
Et tibi **MATTHIAS** faveat, velut ante **RODOLPHUS**:
O quantum est tantis posse placere Dijs!
At quâ compellem Magni vos voce Scholarchæ,
Quos Genus & Virtus sidera adusq; vehit?
Quâ vos, præ reliquis queis sumæ est Curia Curæ,
Et quorum populi pendet ab arte salus?
Quòd miserum tanto dignamini honore poëtam;
Nec pudet in nostro velle sedere choro.
Monstratis sic vos & cætera fulcra **SENATUS**,
Quàm sit in Aonidas vestra parata fides.
Floreat auspicio vestro Respublica salva,
Vobiscum ut valeat civicus ordo diu.
VOS PATRIÆ PATRES estis, **DI TUTELARES**:
Per Vos, perq; Deū, quod sumus, omne sumus.
Vivite felices, & seros vivite in annos:
Vivite, nam vestrum vivere, vita mea est.
Illustres COMITES, Generosa è Stirpe **BARONES**,
Sidera quos Terræ jure vocare queam,
Vobis